

Aus d. Grisebach. Auslin

Nr. 59.1.

10

EXERCITATIO THEOLOGICA
DOGmatica
DE
MESSIÆ FILII DEI GENERA-
TIONE ÆTERNA
Ex Psalmi II Commate VII
ASSERENDA

ÆUVANTE DEO,
RECTORE UNIVERSITATIS MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DOMINO
IO. CAROLO LUDOVICO,
COMITE PALATINO RHENI, DUCE BAVARIAE, CO-
MITE VELDENTIAE ET SPONHEMII, REL. REL.

PRÆSIDE
CHRISTOPH. FRIDERICO
SARTORIO,

S. S. THEOL. DOCTORE ET PROF. PUBL. ORD. SEMINARI
DUCALIS THEOLOGICI SUPERATTENDENTE,
FACULTATIS THEOLOGICÆ p. t. DECANO,

D. SEPT. MDCCCLVIII.

IN AULA NOVA

AD AMICAM συζητησιν PROPOSITA

RESPONDENTE

M. IOHANNE SCHLICHTERO, *Entringenſt.*,
S. S. THEOL. CULTORE.

TUBINGÆ, litteris Cottaianis.

ЛІТЪ ПІДЪ ОРДИНОМЪ

АЛЕКСІЙ ЗІСІНІЙ ГУЗІМ
ЛІТЕРУ СІВІРІ

СІВІРІ СІВІРІ СІВІРІ



* *

Cum ad me accederet Cl. Dn. Respondens peti-
turus a me Dissertationem a se publice defen-
dendam , illo ipso tempore versabar in medi-
tanda Thesi de Generatione Filii DEI aeterna ,
quam in prelectionibus publicis Dogmaticis tunc tra-
ctandam sub manu habebam . Itaque tunc animum
statim subiit cogitatio , thesin illam non alienum
fore ab instituto hoc thema , quod & utile Disputa-
turo , & accommodatum esset temporibus . Re dein-
de ulterius perpensa , partim summum hujus do-
ctrinae momentum , partim recens tunc recorda-
tio objectionum , quas pensitaveram in gratiam
theseos , ex omni parte circumspecie firmandae , &
quas , dudum licet solide profligatas , identi-
dem tamen & μετα τοις φυτας jactari hoc ipso nostro
eo videmus , movit me , ut a consilio , quod primum

A 2

se

se obtulerat, non discedendum esse existimarem. Itaque tractabitur a nobis heic doctrina capitalis & necessaria, sic tamen, ut fundamenta ejus maxime necessaria thetice persequar, reliquis, quae hic dici possunt ac solent, tantisper sepositis; cuius rei facile venia dabitur, spero, quoniam brevitatis & ut dixi, eorum quae ad fundamentum solidum necessaria sunt, potissima a nobis ratio habenda fuit. Deum autem supplices rogamus, ut nobis Divino lumine & Gratia sua adesse velit.

§. I.

Theoseos de generatione Filii DEI æterna sedes præcipua est in oraculis Psalm. II, 7. Prov. VIII, 22. seqq. Mich. V, 1. Nos hac vice in primi oraculi Davidici consideratione, pro præsentis instituti ratione, subsistimus. Verba Textus haec sunt:

אָסְפַּרְתָּה אֶל חַק יְהוָה אָמַר אָלֹוי בְּנֵי אֶתְחָה אֲנִי הַוֹּשֵׁב יְלֹתָתְךָ

Enarrabo Decretum: Jehova dixit ad me, Filius meus Tu (es); Ego hodie genui Te.

J. II. Sistitur in his verbis Persona aliqua loquens, quæ Persona etiam in primariis, quas hic versus continet, Enunciationibus Subjectum est. Quenam illa Persona sit? in eo recte constituendo cardo versatur totius demonstrationis, quæ pro Thesis nostra ex dicto hoc effici potest. Illud igitur primum ponimus: *Eam personam non esse aliam, quam Messiam.* Atque hoc sequentibus argumentis probamus. I. Quia verba hujus versiculi sic allegantur in Novo Testamento, ut de Christo, sive Media, ea dicta esse, Apostoli diserte testentur. *Vid. Act. XIII, 33.* Ebr.

Ebr. I, 5. V, 5. II. Quia etiam alia Psalmi secundi verba eodem modo, tanquam de Christo agentia, in N. T. proferuntur. Vid. Act. IV, 25. 26. 27. Apoc. II, 26. 27. 28. XIX, 15. Ex quo intelligitur, plura in hoc Psalmo de Messia dicta occurere. III. Quia ipsum Psalmi argumentum integrum ita comparatum est, ut non possit de alio Subjecto, quam de Messia, intelligi, adeoque totus omnino Psalmus, & unice, eo pertineat. Ita gradatim in probatione nostra progredimur; singuli autem hi gradus ulterius firmandi & vindicandi sunt.

S. III. Adversus primam scilicet ac secundam probationem hoc commune dubium militat, quod objici plerisque hujus generis probationibus soleat illud de accommodatione *sequens*. Et quidem a vocabulo accommodationis nec nostri Theologi antiquiores alieni fuerunt; talem nimirum accommodationem intelligentes, qua fundamentum haberet in ipsis textibus accommodatis. Verum a meliore hoc & plane innoxio significatu vox illa sensim recessit, & in abusum gravem pertracta est. Qui enim nunc dicunt, apostolorum allegationes e V. T. esse tantum accommodations, hoc volunt, dicta ab apostolis allegata non habere in sede sua & in contextu hunc sensum, quem per allegationem illis apostoli tribuunt; sed ab illis huc trahi ex uno hoc fundamento, quia verba apte ad rem praesentem convenient, quamvis verus verborum sensus plane aliud quid dicat. Jam hoc posito nihil prorsus probabit prima & secunda ratio nostra, S. præced. adducta. Parata semper exceptio erit, quicquid tandem Apostoli in illis suis allegationibus dixerint aut scripserint, allegationes illas esse meras accommodations, nihil inde de vero dictorum V. T. sensu concludi posse.

S. IV. Verum ad vindicandas allegationes apostolorum ab hac detorsione, quæ illas plane enervat, duo observamus: 1. apostolos ubi dicta V. T. allegant, ea adhibere in rebus & questionibus seriis ac magni momenti; & 2. adhibere plerasque has allegationes ad probandum. Jam autem tales dictorum V. T.

citationes non alio, quam accommodationum, loco habere, idque eo sensu, quem dixi, id vero est sanctis illis & gravibus viris aliquid imputare, quod nemo medicocriter prudens æquo animo patiatur sermonibus suis attribui. Nemo sapiens in re feria frigidis applicationibus ludit (a); multo minus loco solidarum probationum aliena testimonia adfert, in diversam plane sententiam dicta, & ad præsens negotium non, nisi per aliqualem verborum convenientiam, applicabilia. Aut ergo aperte dicendum, apostolos non dixisse vel scripsisse ut Viri prudentes ac serii solent; id quod cum ipsorum *ægionisq[ue]* divina, quæ aliunde certa est, consistere non potest, ac præterea vel obiter inspecto ipsorum sermone falsissimum deprehendetur; aut abstinendum est ab hac exceptione accommodationis.

(a) In præsentis certe Psalimi allegatione, ubicunque ea in N. T. occurrit, aliquid magnum & serium agitur. Citatur e. g. a Paulo Act. XIII, 33, in sermone, quo Judæis doctrinam ordinemque salutis, per fidem in Christum obtinendæ, in Synagoga Antiochena proponit, in gravem & acrem elenchum v. 40. 41. denique desiturus; hic sane solidis argumentis res agenda erat, non allusionibus fundamento parentibus. Hoc multo magis manifestum est in allegatione Act. IV, 25. In ea applicatio hujus psalmi ad Christum fit 1. à tote cœtu fidelium, recens illuminatorum illa excellente effusione Spiritus S. 2. in precibus magno animorum motu ad DEUM fuis; 3. singulari cum asseveratione, *in' αληνδρεια, revera, congregati sunt in hac urbe contra Filium tuum;* 4. singulari etiam cum eventu, quo DEUS ipsis significavit, preces ipsorum ratas haberi. Non disputabant tum contra Judæos; nulla erat ratio methodum probandi Judaicam hic adhibendi *κατ' ανθρωπον.* Cum DEO, soli inter se, & serio, agebant; nullaque rationabilis causa ipsis tunc erat, quare allusione uterentur potius, quam simplici & plano sermone. Ex adverso gravissima & fontica causa aderat, quare fidem suam in illo rerum & animorum motu quam solidissime firmatum irent.

§. V.

§. V. Sed multo magis deprehenditur vanitas hujus opinionis & falsitas, si eatur in rem præsentem, & singula loca considerentur, de quibus est quæstio. In præsenti certe Oraculo nostro nullam plane speciem exceptio habet. Hoc ostensum ibo, per ubiorem confirmationem tertiaræ probationis in §. II, qua dixi, non posse hunc Psalmum de alio Subiecto, quam de Messia, intelligi. Hoc distincte per aliquot Positiones ostendam.

§. VI. Certum est PRIMO, agi hic de aliquo Rege; docet hoc auto-psia. Regem hunc appellat Psalmus unctum Domini Jehovæ: & per hoc significat, peculiari & plane singulari modo constitutum fuisse a DEO. Porro Jehova & unctus ejus ita arcte conjunguntur, ut impugnato hoc Rege ipse etiam Jehova eadem impietate peti dicatur. Denique v. 6. ubi ipse DEUS loquitur, dicitur, ego unxi (נָסַח h. e. constitui & declaravi) regem MEUM. Hinc jam admundum probabile fit, regem Messiam potius, quam quemcunque alium regem, debere intelligi, si vel nulla alia ratio adesset, quæ nos eo redigeret. Neque enim ratio dari potest, quare Davides, prae Salomone, aut alio quoquo Rege Deo dilecto, debuerit dici, DEI REX. Sed accedunt alia plura.

§. VII. Nimirum SECUNDO etiam hoc certum est, Psalmum hunc totum, simpliciter, ac litterali sensu, non posse de Davide (aut alio simili rege) intelligi, quicquid hic Judæi, aliisque infideles contendant. (a) Hoc uti solide debet, ita etiam facile potest probari. Talia enim de illo rege, qui hujus Psalmi Subiectum est, dicuntur, quæ fieri nullo modo potest, ut quis Davidi, aut alii simili regi, attribuat. 1. Gentes, & Reges terra ac dominatores, ingenti motu, & magna concursatione, & unanimi conspiratione, insurgere dicuntur adversus hunc regem: Nil tale factum Davidi. Bellum quidem intulere vicinæ gentes, Philistæ, Moabitæ, Syri, Ammonitæ, Edomitæ: sed Reges illi fuerunt & numero pauci, & diversis temporibus bellum gesserunt, nec semper sœdere inter se juncti. 2. Hostibus illis

illis gravissima denunciantur DEI iudicia v. 5. At Davides hostes suos devicit sane & fortiter subegit; non tamen interventibus extraordinariis & conspicuis exemplis singularis vindictæ Divinæ. 3. Regi huic universale imperium in omnes gentes & regnum usque ad fines terræ extensum destinatur. Tam late nec Davides, nec ullus unquam regum regnavit, aut potuit regnare. 4. Rex hic dicitur Filius DEI, exochica quædam ratione. Coadiutoria est interpretatio, hoc de Davide explicantium. Aut plane id non convenit in Davidem, aut in omnes convenit reges, quorum felix ac potens dominum est, ut nullam Davides in eo ιζοχη habeat. 5. Jubentur homines osculari filium, h. e. sanæ & religiose colere vid. 1. Reg. XIX, 18. & in eum fiduciam collocare, & ex illa sua fiducia beatitudinem exspectare, eaque omnibus, quot quot ipsi confiderent, promittitur. Jam in hominibus, etiam summi ordinis, confidere passim vetamur, Jer. XVII, 5. Negantur salutem conferre posse, vid. Psal. CXLVI, 3. Davidi non debebatur veneratio religiosa; Neque omnes ubique locorum fiduciam in eo ponere poterant. Favere ipsis regno poterant etiam longe distantes gentes: sed nihil opis ipsis in Davide esse poterat, cuius spe deberent fiduciam erga ipsum concipere, eamque cum certo eventu felicitatis conjunctam. Non potest igitur eorum opinio locum habere, qui totum Psalmum simpliciter de Davide rege interpretantur. (b)

(a) Novissimum quandam ex græce hoc egregie refutavit TH. CHR. LILIENTHALIUS in libro *die gute Sache der Götlichen Offenbahrung*, P. II. p. 582. sqq.

(b) Judæos recentiores hanc opinionem adoptare, ut argumenta contra ipsorum infidelitatem ex hoc Psalmo desumpta Christianis eripiunt, tralatitium est, & prodidit hoc ipsum R. SALOMO JARCHI, præcipuus inter ipsis interpres, dum in *Comment. ad Psalmum II.* monet, totum debere explicari de Davide, nulla fere alia ratione redditâ, quam **הַמִּנְיוֹן** in *responsum Mineis*, sive *haereticis*, quo nomine Christianos illi appellant.

pellant. Hujus effugii Judæos ita puduit, ut illæ duæ voces in BUXTORFII Biblis rabinicis, quæ illum RASCHII Commentarium habent, omissæ sint, cum tamen & in Bombergiano, exemplari legantur & in aliquot MStis codicibus. Hoc passim Eruditi Viri observant, e. g. POLUS ad h. l. SCHERZERUS, Colleg. anti-Socin. p. 171. HULSEMANNUS, Vindic. p. 17. MICHAELIS annot. uber. ad h. l. & in primis ZELTNERUS, in Epist. de Impedim. & Adjumentis conversionis Judeorum p. 59.

§. VIII. Sed TERTIO neque illa explicatio caret incommodis, quæ duplex facit in toto Psalmo Subjectum, Davidem & Christum, eumque proxime quidem ac litteraliter de Davide, sed magis proprie & primario de Christo interpretatur. Quamvis enim speciosa sit primo intuitu; duo tamen ei incommoda, ea- que non exigua obstant. Primum est, quod nonnulla in hoc Psalmo dicta de Davide explicari plane non possint, nisi per coactissimam interpretationem inflectantur. Provoco vel ad Iolum hunc versiculum, quem sub manibus habemus. Eum secundum hypothesis hanc ita exponit in erudita sua Paraphrasi SIMON PATRICIUS, Ep. Elienjs (a): Ich bin verichert, daß dieses der Schluss des Himmels ist, wvelchen ich hier der ganzen Welt verkündige: denn der HERR hat mich aus einem niedri- gen und geringen Stande zu der höchsten Würde erhoben. (Hic sensus tribuitur verbis: Jehova dixit ad me, Filius meus es tu.) An eben dem Tage habe ich, auf seinen Befehl, zu regie- ren angefangen; und ich kan denselben vwohl den Geburts Tag meines Königreichs nennen. (Hæc est sententia verborum: ho- die genui TE.) Nimis magna est inter verba textus & inter paraphraseos sententiam disparitas, quam ut animus serio ver- bum DEI tractans, in ea acquiescere possit. Alterum incom- modum est, quod ea etiam, quæ videntur in Davidem utcun- que posse convenire, tamen de Davide exposita, tam exili & minuto sensu accipi debeant, ut multum infra vim vocabu- lorum subsistat interpretatio. Huc pertinent quæ §. 7. num.

I. 2. & 3. attulimus; quibus unum hoc addimus. Si in apostrophe illa v. 10. II. 12. Davidem facere debeamus alloquenter reges & judices terræ, tumorem vix tolerabilem habebit illa oratio; thrasonica potius, quam sancta, aut morali tantum sobrietate composita, haberi poterit; Ludibrium partitura potius apud vicinos reges, quam excitatura reverentiam. Ut cunque sit, ab sancta illa, quæ in rege Davide insignis fuit, modestia ac humilitate plurimum diffidebit. (b)

(a) In eximio opere Biblico Lipsiensi Part. VI. p. 37.

(b) Plura hanc in rem observat Ven. D. D. DIETELMAIR in laudato Opere Biblico l. c. p. 33. not. (31)

§. IX. Manet ergo una haec via explicandi, cum nec de Davide solo, nec de Davide & Messia simul explicari possit, ut *de solo Messia Psalmum interpretetur*. Et accedit huic probationi ex eo nova vis, quod haec de Messia expositio nativam habet facilitatem; nihil coacti complectitur; verbis Textus & proprium suum & plenum significatum relinquit; & sententiam totius Psalmi praebet gravem, sublimem, dignam DEO, respondentem experientiæ per omnem eventuum seriem in mundi historia; fecundam denique tum arduis doctrinis, tum officiis maxime sublimibus & spiritualibus, tum officiorum motiis efficacissimis. Specimen doctrinarum gravissimarum, vel ex solo hoc, quod tractamus oraculo, quamvis exigua Psalmi particula sit, deducendarum, nos porro jam in tractatione nostra capiemus.

§. X. Dato nempe hoc, quod adhuc probavimus (quoniam omnium reliquorum argumentorum probantium vis in hoc tanquam fundamento posita est,) Messiam esse, de quo Psalmus hic agat, & eundem ergo Messiam etiam in hoc nostro oraculo loqui; dato hoc, inquam, primus statim verborum intuitus docet, sequentes in eo contineri propositiones: I. *Messias est DEI Filius*; II. *Messias est Filius a DEO genitus*, Haec duæ Propositi-

positiones totidem axiomata sunt; His tum inter se, tum & cum reliquo contextu collatis accedit III. Propositio: *Messias est Filius DEI, genitus ab eterno.* Harum Propositionum sensum genuinum, & argumenta, quibus nititur, & momentum etiam, ex ipsis textus visceribus eruere tenetur tractatio thetica sive dogmatica. Idque jam porro agemus.

S. XI. PRIMUM in Oraculo nostro hoc *axioma* occurrit: *Messias est Filius DEI.* Filii DEI appellatio admodum frequens in sacris est, nec raro occurrit improppio & metaphorico sensu, ut cum & magistratus, & fideles in primis Filii DEI dicuntur. Hic improppios sensus in praesenti oraculo locum non habet. *Messias Filius DEI* dicitur proprio sensu. Hoc probamus 1. ex absolute posita appellatione Filii DEI. Absoluta talis appellatio tamdiu accipienda est proprio sensu, quamdiu nulla adest ratio, quæ jubeat improppie accipi. Talis vero hic nulla est. Idem probamus 2. ex eo, quod statim adjungitur, ego genui Te; per hoc ita confirmatur & stabilitur proprius sensus, ut plane excludatur cogitatio de adoptione, aut de quocunque alio modo possibili filiationis improppiae. Denique 3. hoc ipsum patet ex emphatico modo loquendi. Nexus orationis talis est, ut appareat, de Messia hic aliquid eximiū dici. Habet ergo emphasis vox ΜΙΣΣΑΙΟΣ, posita in fine enuntiationis: *Filius meus es TV; h. e. Tu, non aliis, es Filius meus.* Messias ergo solus hic esse dicitur Filius DEI. At Filii DEI sensu improppio & metaphorico multi sunt: nihil eximiū habet Messias, si appellatio filii hic sit accipienda improppie. Ergo proprie ac vere Filius DEI est. (a)

(a) Consentient tabulae N. T. & quod in oraculo nostro insinuantur, id multo clarius exponunt, quando Messiam Filium DEI *unigenitum* dicunt, Joh. I, 14. III, 16. & *proprium*, Rom. VIII, 32. Frustra adeo sunt, qui per illa loca, in quibus nomen Filii DEI etiam aliis præter Messiam tribuitur, vim hujus argumenti conantur infringere.

§. XII. SECUNDUM Axioma hoc habet Textus: *Messias est Filius a DEO genitus.* Hic iterum ad nervum probandi perspicue declarandum observamus, & illa verba, ego genui te, absolute posita esse, sine additamento. Jam ubique verbum generandi de producente & producto intelligente usurpatur absolute, ibi semper de vera & propria generatione accipitur. Nullum in sacris exemplum est, ubi hoc modo positum accipi metaphorice debeat. Porro s. nulla ratio est, quæ nos jubeat a proprio significatu recedere. Tum adoptari debet impropus sensus, cum verbum generandi de tali re dicitur, in quam nulla proprie generatio sive activa sive passiva cadit; ut, cum montes dicuntur geniti, Psal. XC, 2. aut mare Job. XXXVIII, 9. aut pluvia ibid. v. 28. aut quando hoc verbum cum subiecto metaphorico jungitur, quod per se jam impropus sensum postulat, ut Deut. XXXII, 18. Petram, quæ genuit te, olivisceris; aut quando per expressam modi mentionem determinatur significatus impropus, ut cum Paulus Corinthios genuisse dicitur, sed modificatione statim adjecta, per Evangelium r. Cor. IV, 15. Verum hie nulla talis ratio est. Quin vero adest non una ratio, proprium significatum verbi genui te, retinere jubens. Intelligitur enim ex ipsa serie orationis, rationem prioris asserti (*tu es Filius meus*) contineri in posteriori asserto (*ego genui te.*) Nihil magis naturale & obvium esse potest, quam hunc inter incisum utrumque nexus sibi representare: *Filius meus es tu*, idque ex hac ratione, QUONIAM genui te. Non per adoptionem, non per gratiam, meus censeris Filius. Altior ratio subest. Ex Generatione hoc habes, ut Filius sis. (a)

(a) Itaque per se cadunt Socinianorum detorsiones, qui fatentur quidem, Christum esse Filium DEI, sed ob conceptionem miraculosam Luc. I, 35. ob missionem & sanctificationem Joh. X, 36. ob resuscitationem ex mortuis Act. XIII, 33. ob collatam potestatem & regnum Ebr. V, 5. Filium DEI dici contendunt. Aliam rationem oraculum nostrum habet. Ideo Filius DEI est, quoniam genitus. §. XIII.

S. XIII. Facit hic adeo evidens nexus Orationis, ut verbum genui non possit, nec debeat alio, quam proprio significatu accipi. Duæ enim istæ notiones, Filii atque Generationis, se mutuo non modo explicant, sed etiam iustinent, ut neutram licet a proprio significatu ad improprium detrudere, nisi per vim orationi illatam, qui contortus explicandi modus se ipsum falsitatis convincit. Quis enim hoc modo aut ipse loquatur, aut loquentem ferat, *tu es Filius meus, ego genui te*: si tamen filius ille non proprius sit; si tantum per adoptionem receptoris sit in filii jura; aut alia quacunque ratione constitutus aut declaratus pro filio; aut filii titulo & dignitate ornatus; aut in tutelam assumitus & eximiis beneficiis cultus, quibus majora nullus a Patre Filius exspectet; aut ad summos honores evectus, aut si quid aliud simile forte possit excogitari. *Fili* quidem appellatio hisce modis utcunque conveniat: sed nihil tamen horum est generare. Nimis insolens ac dura metaphora est, quando generatio impropria obtruditur in tam solenni, qualis in oraculo nostro est, *Fili DEI* appellatione.

S. XIV. Atque hæc ipsa *appellationis solennitas* alium etiam nervum probandi suppeditat. Qui orationem Psalmi hujus attente legerit, totam ita compositam deprehendet, ut magnum quid singula fere verba ostendant. Non arcessam huc antecedentia, inde a Psalmi initio; quamvis admirabili concinnitate surgat oratio: manebo in solo nostro versiculo. In eo *Messias* loquitur. *Enarrabo*, infit: h. e. proferam aliquid valde commemorabile. *Enarrabo statutum*: h. e. decretum Divinum, ex quo deliberatio sapiens elucet, & quod firmum atque irrevocabile est. In hoc statuto illud omnium primum est, quod singularis aliqua & solenni declaratio mihi facta est; *Jehova dixit ad me*. In hac declaratione *Jehova* singulari & exochica ratione me *Filiū suū esse* perhibet. Ponamus lectorem attenuatum in legendis & expendendis his verbis hoc usque progressum: non poterit non ita *esse affectus*, ut ulterius quoque magna

magna & singularia sibi expositum iri cogitet ac præsumat. Atque nunc, postquam illa magna exspectatione suspensus tenetur, ponamus, aliquam generationem impropriam & metaphoricam comminorari. Erit, hoc posito, hæc verborum cognitionumque series: *Hoc singulariter tibi edico, Tu es Filius meus, ego te figurato & improprio sensu genui, h. e. feci aliquid, quod propter qualemcumque similitudinem possit comparari cum generatione,* propter quam etiam decora illa appellatio Filli non proprie, sed qualitercumque tantum, impropriæ nimirum, tibi competere possit. Quantum est in tali oratione frigus. Quis prudens ita sermonem instituat. Anne ideo illa tam magnifica tot verbis significantibus debuerunt præcedere, & maxima quævis velut minari, ut inanis aliquis ingenii lusus, nihil singulare, nihil novi, quod non jam dictum sit, significans, completere deinde posset orationem.

§. XV. Manet ergo ex ratione non una firmus ille proprius significatus, ut DEUS Filium vere ac proprie generaverit. Sed quid sit generatio illa, quæ ejus notio a nobis formanda, hoc definire, fatemur, arduum est, vel potius impossibile. Non ideo contemni meretur aut exagitari nostra Theologia, quando, veneratione claræ litteræ sacræ Scripturæ moti, aliquid asserimus, quod non explicatum relinquimus, & explicari non posse, fatemur. Quis enim ab intellectu humano finito exspectet, ut possit aëtum divinum atque æternum explicare distincte. Neque aliquid DEO indignum asserimus, quando in DEO generationem locum habere dicimus. Sequimur in eo præuentem scripturam; & contradictorii quid in hac divina generatione contineri, nullus adversiorum adhuc ostendere potuit. Quæ ipsos offendunt, ea facile possunt componi, si modo ve-llint attendere, quo pæcto multa alia humana, cum DEO adscribuntur, intelligere jubeat Scriptura ac sana etiam Ratio. Non sunt omnes tales locutiones meræ metaphoræ, meræ figuræ: sed multæ significant aliquid reale, perfectionem aliquam, quam D E O, sed demis quibusvis imperfectionibus, tene-

tēnemur adscribere. Sic Amor DEO tribuitur; sic Irā, Com-
miseratio, & multa talia. Idem hic quoque obseruandum.
Tribuitur DEO generatio, non illa naturalis & physica, qua-
lis in regno animali obtinet, sed supernaturalis, hyperphysica,
divina. Habet generatio naturalis varia, quae DEO adscribi
non possunt; sunt enim imperfectiones, nullo modo in DEUM
cadentes. Verum generatio naturalis imperfectiones illas non
habet, ut est generatio, sed ut est generatio *naturalis*. Im-
perfectiones illae non ita pertinent ad ipsam generationis essen-
tiam, ut, si absint, desinat esse generatio. Removeamus igit̄
tur omnes illas imperfectiones, & cogitemus generationem,
qua nihil imperfectionis involvat; quae sine prioritate, sine suc-
cessione, compositione, divisione, multiplicatione, egressu
locali, aut separatione, verbo, sine ulla imperfectione sit: Illa
perfectissima & eminentissima, sine ulla imperfectione, gene-
ratio dicenda est vera & propria generatio: & hanc DEO adscri-
bimus. Si ulterior urgeatur explicatio, quid ergo sit illa? forte sa-
tius fuisse, in scripturæ simplicitate subsistere, atque in mysterii
summi explicationem se non ingerere. Non tamen rejicienda est
antiquorum Doctorum, & qui eos secuti sunt, nostratum Theolo-
gorum sententia, qua dicunt, *Generationem esse emanationem inef-
fabilem* τὸ λόγον αὐτοῦ; *Generationem activam esse communicatio-
nem essentiæ*, quam gignens habet ex se ipso, factam, cum
altero a se distincto; *Generationem passivam esse acceptionem
essentiæ ab altero a se distincto*; Et acceptionem illam ab altero
non hoc inferre, ut essentiam ab altero acceptam aliquando
non habuerit, sed tantum hoc, ut eam non habeat a se. Hoc
sufficere existimant: longius progredi vetat tanti mysterii ve-
neratio. (a)

(a) Hinc non est, cur nos temeritatis accusent adversarii. FEL-
BINGERUS quidem apud SPENERUM tr. *von der ewigen
Gottheit Jesu Christi* p. 688. sic nos aggreditur: *Ich sage,
wenn ein einiger Funck der Gottesfurcht in ihnen wvere, sie
würden sich entsezen vor Gottes hoher Majestät, und wür-
den*

den ihm seine Wort nicht so wissenschaftlich verkehren, noch ihm etwas andichten, das er doch niemals geredet hat.
Immo vero religiosa Majestatis Divinae veneratio facit, ut verbis DEI, quando ad proprium sensum omnia nos ducunt, simpliciter inherendum esse existimemus. Conferatur modo nostra methodus explicandi Scripturam & ex Scriptura de DEO loquendi, cum methodo adversariorum. Res ipsa loquetur, utra religiosior sit.

§. XVI. Accedimus denique ad TERTIAM Propositionem, *Messias est Filius DEI genitus ab aeterno.* Hæc paullo difficultius ex oraculo nostro videtur probari posse; Et fatendum est, objectiones adversariorum parum abesse ab insultatione, qua theologis exprobrant interpretationem temerariam & omnino absurdam, quod **הַיּוֹם**, *hodie*, dicant significare eternitatem. Sed salva res est, modo recte mens Theologorum capiatur. PRIMO constat, in S. Scriptura vocem **וְיִהְיֶה** non semper significare præcisè diem præsentem, aut fixum aliquod & determinatum tempus. Adhibetur enim 1.) ita, ut significet præsens tempus cum tempore præterito, quod una inclusum intelligi debet. e. g. i Sam. X, 19. dicitur, *vos spreviatis hodie DEUM vestrum;* At hoc diu antea fecerant. Jer. XXXIV, 15. manumissio servorum jam aliquot diebus ante facta erat, & tamen dicitur, *hodie reversi estis & fecistis rectum.* Sic Nehemias IX, 36. dicit, *ecce nos hodie servi sumus;* hæc servitus non tunc demum cœperat. 2.) **וְיִהְיֶה** etiam ita accipitur, ut futurum tempus simul cum præsenti includat. Sic Elias i Reg. XVIII, 36. ait, *hodie cognoscetur, quod tu sis DEUS in Israele.* Hæc DEI agnitione in futurum quoque mansura fuit. i Reg. XIV, 14. *excitat DEUS sibi regem,* qui exscindet domum Jerobeami **וְיִהְיֶה** hoc ipso die. Hoc plus est quam **וְיִהְיֶה** simpliciter possum, & tamen ne sic quidem adeo præcisè ad præsens tempus adstringitur. Habet ergo vocula **וְיִהְיֶה** non raro significatum *indefinitum*, tempus non præcisè determinatum indicantem.

tem. Constat SECUNDO, vocem **הַיּוֹם** etiam de longo temporis tractu, modo continuus sit, adhiberi. Sic Laban Jacobo ait Gen. XXXI, 48. *acervus hic testis sit inter me & inter te **הַיּוֹם** hodie.* Non sane mens ejus fuit, illius unici dici testem constituere, sed in perpetuum, quoad viecturi erant. Multo magis aperta haec sententia est in illo Mosis Deut. IV, 39. *cognosces **הַיּוֹם** hodie, & revocabis ad animum, Jebovam esse DEUM in calo superne, & in terra inferne, non alium.* Quis dicat, hoc unius illius diei officium fuisse? Perpetuum fuit atque continuum omnium dierum sequentium. Sic in Oratione Dominica, quod apud Matthæum c. VI, 11. σήμερον, *hodie* est, id apud Lucam c. XI, 3. effertur per νεστόρα ήμέραν, *quavis die*, manifesta nota *perpetuitatis* cum notione vocis *hodie* conjungenda. Nullum autem evidentius testimonium est, quam Pauli Apostoli, Ebr. III, 13. explicantis illud Psalmi XCV, 7. 8. Verba Psalmi sunt, **הַיּוֹם, hodie,** si vocem ejus audieritis, ne obduretis corda vestra. Hoc Paulus ita explicat, quovis die, *quamdiu illud hodie dicitur, nos exhortari debere nos ipsos.* Conferamus has observationes in unam veluti sumمام. **הַיּוֹם, hodie,** habet significationem non semper præcisam ac definitam; habet sape significationem indefinitam, nunc præteritum tempus, nunc futurum, nunc utrumque simul, cum presenti tempore conjungentem; habet significationem longi & continui temporis tractus, ita ut, ad homines dictum, totam vitæ humanae durationem complectatur. Hoc dato, nihil impedit, quo minus **הַיּוֹם, hodie**, etiam POSSIT de æternitate intelligi. (a)

(a) Nam uti Paulus illud *hodie* explicat, *ex quo dicitur hodie;* ita & in hoc loco vocem hanc explicare licet: *hodie genii te,* h. e. *ex quo dicitur hodie.* *genii te.* Sicut *hodie* in humanis notat totam vitæ humanae durationem: ita & in Divinis notare potest totam vitæ divinae durationem, atque adeo æternitatem. Itaque notio humana *τῇ hodie* in oraculo nostro adhibetur ad exprimendam infinitam & perfectissimam DEI durationem, uti multa alia humana DEO attribuantur, intelligenda *Georgenw.*

§. XVII. Ita probavimus, illud **הַיּוֹם, hodie**, posse intelligi de æternitate. Nunc ulterius progredimur, & asserimus, DEBERE omnino de ea accipi. Multas ad hoc probandum rationes Theologi conferunt:

nos potiores tantum feligemus. 1. Illud *hodie* est plane ξοκινός, soli huic Filio proprium. Nulli Creaturæ simile quid dictum est. Ebr. I, 5. Si temporarium hodie intelligendum sit, nulla est Filii ξοκίνη, nam tale *hodie* compérit etiam creaturis. 2. Est *hodie* *divinum*, usurpatum de actu divino interno, intra ipsam Deitatem peracto. Tales actus aeterni sunt, ut inter omnes constar. 3. Generatio Filii allegatur ut fundamentum decreti de dando Melliae regno; Ergo in conceptu nostro antecedit ipsum decretum. Et decretum aeternum est; Ergo & Generatio aeterna est. 4. Si discedamus a generatione aeterna, nullum aliud *hodie* potest ostendi, quo generatio Filii facta esse dicatur. DEUS omni tempore Filio dicere potest, *hodie genui te*. Si ergo dictum hoc de certo aliquo tempore determinate sit intelligendum, ratio adesse debet, ex qua intelligatur, cur hoc potius, quam alio quoquo tempore Deus dicat: *hodie genui te*. Multi dies Christo gloriofi fuerunt: sed nullus ita comparatus, ut illo demum die dici possit factus esse Filius, atque adeo illo demum die genitus; quin tales fuerunt, ut exochica haec filatio per illos potius supponatur, & tantummodo gloriose manifestata ac declarata fuerit.

§. XVIII. Quando ita probatus est verus vocabuli *hodie* sensus, tunc deinde commodissime locum habet observatio AUGUSTINI, a plerisque adoptata Theologis, apud DEUM semper esse hodie, esse perpetuum νῦν. Facit nimurum egregie ad confirmandam hanc expositionem, quod res ipsa tam apte congruat cum hac forma loquendi. Aeternitas & praeteritum, & futurum, & praesens, simul ut coexistens complectitur; ita tamen, ut praesens in hac notione potissimum sit; est enim perpetuum νῦν. Ita autem eadem est ratio generationis aeternæ, & eodem etiam modo describitur: adhibetur enim *verbūm præteritūm, generavi*, & adjungitur *particula hodie, praesens tempus propriè significans*, & connectitur *verbūm futurūm, enarrabo statutum, dabo tibi gentes*, per quod perpetuo duratura vis hujus generationis significatur. Ita generatio Filii DEI est actus aeternus, quo DEUS Filium ab aeterno genuit, gignit & gignet. *Genuit* Filium, non est enim inchoata, sed perfecta & absoluta hac generatio, *Gignit* Filium, non enim est actus præteriens, transitorius, & nunc, postquam peracta est generatio, cessans; *Gignet*, est enim generatio

ratio perennis, permanens, immutabilis. In hoc autem actu est perpetuum, ad illud in eo nobis repræsentando cogitandum, per partcu-
lam ~~in~~, ~~bodie~~, diserte redigimur. Ita apte omnia congruunt.

§. XIX. Supereft, ut de momento Theseos nostra videamus; quod insigne esse vel sola *Consecratio*, qua ex ea proxime deduci possunt, ostendunt. PRIMUM hoc est: *Vera & realis est inter Patrem & Filium in Divinis distinctiones*. 1. Hæc distinctione agnoscitur ex alloquio Jehovæ, qui dicit ad Filium, *Filius meus es tu*. Ergo est hic ~~deus natus deus~~. Alia est Persona Jehovæ, Filium alloquentis; alia est Persona Filii, quem Jehova alloquitur. Itaque 2. Nomen Jehova, quod alias essentiale est, hic personaliter accipi debet, quoniam a Filio distinguitur; Ergo Jehova hic significat DEUM PATREM. 3. Pater sibi ipse tribuit actionem aliquam, qua eadem Filio tribui non potest, generationem nempe acti-
vam. Hic *actus personalis ad intra*, evidens argumentum & probatio veræ ac realis inter has duas personas distinctionis est. Inde porro consequuntur 4. *Characteres hypostatici*, quibus itidem Patris & Filii differentia realis cognoscitur. Pater gignit, non Filius. Filius gigni-
tur, non Pater. Ergo *Paternitas & Filiatio sunt proprietates Patris & Filii personales*. Sunt enim relationes reales, qua per suam *Opposi-
tionem relativam & constituant & inter se distinguunt* duas hasce Per-
sonas. (a)

(a) *Quem ista usum habent?* inquis. Respondeo, non unum; & omnes magi momenti. UT caveatur ~~eo~~ magis error *Sabellianus*, & explicatio Generationis Filii *Roelliana*; UT appareat, aternam Filii DEI generatio-
nem plus esse, quam meram Filii coexistentiam aternam cum Patre, in
eadem *Essentia Divina*; UT ordo inter Personas, per quem Pater prima
Persons, secunda Filius, tertia Spiritus Sanctus est, naturalis DEO ac ne-
cessarius agnoscatur, non arbitrarius. Qui monstrat opinionum, quorum
nostra etiam actas fatis ferax est, novit, ei hæc non poterunt in
tradenda thetica Theologia videri superflua.

§. XX. ALTERUM *Consecratio* est: *Filius DEI est Patri similitus coessentialis*. 1.) *Quia Filius est*, proprio sensu. Hæc ordinaria Filii proprie diæti notio est, eandem cum Patre essentiam habere. Stringit
C 2. hoc

hoc argumentum Paulus, & ex hoc ipso Filii Majestatem Angelorum, excellentissimarum Creaturarum, gloria plurimum superiori esse demonstrat, quoniam nulli unquam Angelo dictum sit, Tu es Filius meus. Ebr. I, 4. 5. 6. 2.) *Quia Filius DEI est per Generationem*, itidem proprie dictam. Etiam in hac consequentia necunda praenunt Paulum habemus, qui Ebr. I, 2. 3. ex generatione probat, Filium esse splendorem Glorie & characterem hypostaseos Patris. 3) *quia Persona Filii aeterna est*, aequa ac Patris Persona, genita nempe ab aeterno. 4) *Quia ei competit regnum amplissimum*, cui administrando non nisi infinita, immensa, omnipotens, omnipotens Persona par esse potest, v. 8. & ea regiminis *majestas*, quæ potentiam infinitam requirit v. 9. (a) & *cultus fiduciae*, quem omnes ipsi praestare tenentur.

(a) Egregie stringitur hic nervus probandi per id, quod Filio potestas competit, hanc ipsam sui regiminis Majestatem etiam cum fidelibus communicandi Apoc. II, 26. 27.

§. XXI. Posuimus initio nostræ tractationis, Messiam esse, de quo oraculum nostrum loquatur. Jam autem cum aliunde constet, Messiam esse verum hominem (prædictetur enim etiam in V. T. Ipsius natus, vita, fata, mors, ut alia raseamus); cum porro sit modo probatum, eundem esse verum DEUM (§. 20.): consequitur inde, Messiam esse talēm personam, quæ simul DEUS & simul homo sit. Hoc observato facile intelligitur, non posse obesse Thesi nostræ, quod Filius DEI in Psalmo hoc dicatur a DEO unctus & constitutus in regem; quodque regnum a DEO petat arque accipiat. Largimur, non convenire ista in Filium DEI aeternum & Patri coessentialē; sed apte convenientiū in Personam Messiæ, quoad humanam Ipsius Naturam. Atque hoc ipso confirmatur & expositio Psalmi, & Thesis nostra, quod, ea posita, omnia in illa Divina Oda egregie consentiunt ac sibi constant, & facilem, nativam, dignissimam DEO, secundam denique sententiam habent.

T A N T U M.


Fd 3984



TA - DL


V2017

WW



Farbkarte #13

B.I.G.



Black
White
3/Color
Red
Magenta
Yellow
Green
Cyan
Blue

10
IO THEOLOGICA
MATICA
DE
I DEI GENERA-
ÆTERNA

*II Commate VII
SERENDA*

N TE DEO,
ATIS MAGNIFICENTISSIMO,
RINCIPE AC DOMINO,
OMINO
O LUDOVICO,
HENI, DUCE BAVARIAE, CO-
ET SPONHEMII, REL. REL.

ÆSIDE
H. FRIDERICO
TORIO,

I PROF. PUBL. ORD. SEMINARI
GICI SUPERATTENDENTE,
OLOGICÆ p. t. DECANO,
EPT. MDCCLVIII.

AULA NOVA
συζητησιν PROPOSITA
PONDENTE
ILICHTERO, *Entringenſi*,
OL. CULTORE.

litteris Cottaianis.